Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



Galathas 318

nro ihu xpo. q dedit semetipsum p peccatis nris ut eriperet nos de presenti
seculo nequam. secundum voluntatem dei et patris nri. cui est gloria et honor in se
cula seculorum amen. Miror quod sic tam cito transferimini a eo qui vos
vocavit in gratiam xpi in aliud euangelium. quod non est aliud nisi sunt qui
qui vos conturbant et volunt convertere euangelium xpi. Sed licet nos
aut angelus de celo euangelizet vobis. preter id quod euangelizavimus
vobis. anathema sit. Sicut predixi et nunc iterum dico. Si quis vobis
euangelizaverit preter id quod accepistis. anathema sit. Numquid enim
hominibus suadeo. an deo. An quid hominibus placeo. Si adhuc homini
placerem. xpi servus non essem. Notum enim vobis facio euangelium
quod evangelizatum est a me. quia non est secundum hominem. Neque enim ego
ab homine accepi illud. sed per revelationem ihu xpi. Audistis
enim conversationem meam aliquando in iudaismo. quoniam supra modum persequebar
ecclesiam dei et expugnabam illam. et proficiebam in iudaismo
super multos coetaneos meos in genere meo. Habundantior enim emulator
existens patrum meorum traditionum. Cum autem placuit deo qui
me segregavit de utero matris mee et vocavit per gratiam suam ut revelaret filium suum in me. ut evangelizarem illum in gentibus. Continuo non acquievi carni et sanguini. neque veni hierusalem ad antecessores meos apostolos. sed abii in arabiam et iterum reversus sum
damascum. Deinde post annos tres veni hierusalem videre petrum. et mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem apostolorum
vidi neminem nisi iacobum fratrem domini. Quae autem scribo vobis. ecce coram deo quia non mentior. Deinde veni in partes Syrie et Cilicie.
Eram autem ignotus faciem ecclesiis iudee quae erant in xpo. Tantum autem
audientes habebant. quoniam qui persequebatur nos aliquando. nunc evangelizat
fidem quam aliquando expugnabat. in me glorificabant deum. Deinde post annos quatuordecim.

II

Rursum iterum hierusalem cum barnaba assumpto et
Tito. Exposui autem illis evangelium quod predicor in gentibus. Seorsum autem his qui videbantur aliquid esse
ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem. Sed neque Titus
qui mecum erat cum esset gentilis compulsus est circumcidi. Propter subintroductos falsos fratres qui subintraverunt explorare libertatem nostram quam habemus.